

C. STALPARTII VANDER WIEL
Medici Hagienfis

OBSERVATIONUM
RARIORUM
MEDIC. ANATOMIC.
CHIRURGICARUM
CENTURIA PRIOR,
ACCEDIT
DE UNICORNU
DISSERTATIO.

*Utraque tertia parte auctior, longeque
emendatior.*

Editio novissima.



LEIDAE,
Apud JOANNEM à KERKHEM, 1727.

U N I C O R N U

DISSERTATIO.

NOstrae hujus de *Unicornu* disquisitionis initium constituat pars quaedam literarum, quas Vir Amplissimus *Cornelius Neolandius Brederodius* Foederati *Belgii* Procerum auctoritate Regni *Angolensis* in *Africa* Concilii Politici quondam Assessor ad honorandum admodum Virum *Godefridum Syndicum Genevensē* dedit 23. *Martii* 1643. in ejusdem Regni Urbe *Loandâ S. Pauli* scriptas: Harum autem partem hunc in modum verti.

Ipse equidem tibi nihil omnino novi de hac Orbis terrarum parte litteris significo, utpote in quâ nihil geratur, quod ad tuas pervenire dignum sit aures, praesertim hominis universi theatri Europaei spectacula oculis usurpantis. Flagro, mehercle, atque conficior pene desideratissimae illius terrarum partis (elapso praecipue, in quod Proceribus obstrictus triennio) amore, in qua vel otiosius mal-

mallem existere spectator, quam heic locorum inter quoscunque tandem praecipuus. Contigit mihi, fatebor equidem, hisce in regionibus cum Regibus, Principibusque unà esse, & *veras audire & reddere voces*, à quibus honoribus affectus, nec sine reverentiae testimoniis dilectus sum; neque etiam inter nostros potentiae, auctoritatisque mihi quidquam deest. Verum enim vero non isthaec animum delectant, nec juvant tantis terrarum intervallis, mariumque immensis fluctibus ab optimis divisum amicis, quibus, quas debeo, dignas grates persolvere non datur.

Coeli partis; sub quâ hîc vivitur, insolitis noxia admodum est qualitas: Pauci enim sunt, qui mortem, vel gravissimum ad minimum effugiant morbum. Servavit me in hunc usque diem laudanda Dei benignitas, quem mihi usque mansuetum precor, speroque; si vero aliter quidem de me statuerit, fiat, quicquid voluerit.

Suâ quidem sponte harum regionum sterilis est tellus, nullosque, vel oppido paucos producit fructus fluviorum
autem

autem sipis non desunt mali Aurantiae, citreaeque, nec aliae in Brasiliâ, Europaeque, notiores herbae, sed magno constet harum cultus, propter immensam servorum, quos hic requirit, multitudinem. Ovium etiam, Boumque, ac porcorum, aprorumque nobis abunde est: Copiose etiam admodum cervi, cervaeque, ut & rupicaprae reperiuntur, & ferinam praestantes carnem Phasiani, perdicesque, palumbes, ac coturnices, nec non galli, gallinaeque variegati coloris, longe aliis autem, quam quales in Patriâ meâ vidi, teguntur plumis, palatoque longè sunt amoeniores. Adsunt & anseres feri, anatesque, ac querquedulae cum ficedulis, aliisque, quas ignoratis, natantibus avibus. Ferae bestiae quoque hîc dantur plurimae, Elephanti videlicet, Leonesque, ac Tigres, Lupi, & Bubali, omnes profecto ferae admodum. In aquis autem Crocodili, ut & Hippopotami, ac Sirenes degunt. In terris longius ab Oceano recedentibus Rhinocerores etiam Zebraeque apparent, quae omnia animalia cursus celeritate superant. Invenitur & Unicornu *Afris Bembe*,
Tom. I. *Gg* *ac*

ac *Pocahemba* dictum: hujusmodi animalis cornu servo, longe ab iis, quae in *Europa* hoc circumferuntur nomine, diversum. Mihi certe quam compertissimum est hic, licet rarius, veram reperi *Monocerotem*.

Hujusmodi autem cornu nullum unquam experimentum feci, affirmantibus licet unanimiter *Afris*, praestantissimum id contra quaecvis venena antidotum, quandoquidem *Bozardico* plus fido lapidi, qualem instar gallinacei ovi domi meae habeo, hunc namque crebrior mihi magis commendavit usus. Alia rariora pauca hisce in plagis reperire est, ac quod monstri simile, nihil monstri haec profert *Africae* ora, praeter barbaras, ac famore ratione carentes plurimorum *Maurorum* animas. Quibus autem maxima insunt humanitatis vestigia, pleniorque iudicii facultas, *Congenses* dicuntur. Dantur ad me quandoque a Rege, ejusve fratre *Bambae* Duce, litae nonnulla humani habentes ingenia, in caeteris autem non, nisi probreum: vitio namque, videas congeriem. Hisc &c

ADNOTATIONES

Ad hanc literarum partem.

Utrum verum, ac tale, qualis meminit S. Scriptura, detur Unicornu, diu multumque fuit certatum. Ad hoc autem ut respondeatur, sciendum duplicis nominis intellectu Unicornu scriptoribus usurpari. Hinc enim factum est, ut, neglectâ quidem istâ distinctione, erraverint plurimi.

Significat itaque generaliori nomine Unicornu omne animal, cui unum frontem defendit cornu. Hujusmodi autem bestiae plures sunt. Quatuor dari animalium genera, quibus uno superbiat frons cornu, *Laurentius Catalanus Pharmacopaeus Magdalonensis*, alique scribunt.

Primum genus est Avium, quas inter *Dynon* etiam in Aethiopiâ degentem numerat: ibidem reperiri aves, quibus unicum sit cornu, *Aelianus* auctor est *Libr. 17. Hist. Animal. Cap. 10.* Ille autem hoc loco generalius Cornu intellexit, ita ut eo nomine etiam frontis quandam protuberantiam comprehendat.

Avibus non quidem cornua, sed excrescentias esse scribit *Bartholinus Cap. 7. de Unicornu pag. mibi 46.* *Scaliger Exercitat. 231. num. 5.* cornutae aves in Insula *Catigan*, quae in mari *Pacifico*,

sive *del Zur* sita est, nasci scribit, quae magnitudine gallinis nostratibus pares sint.

Vermius autem Cap. 17. fol. mibi 293. per *Catiganas* insulae aves illas intelligit, quas *Topau* Indi, avem *Rhinocerata* alii dicunt. Ipse inter alia cranium, cornutumque huiusmodi avis rostrum servo, quod mihi quidam ex Indiâ Asiaticâ re-dux dono dedit; illud autem maximi rostri intuitu minimum est, neque enim anserino majus est multò. Ipsum quoque ulnae semissi fere par est longitudine rostrum; quodque hujus superiori parti annectitur cornu, crassum, ac non-nihil recurvum, ejusdemque substantiae, cujus illud, est. Hoc autem cavum, tenue, ac molle ejusdemque fere materiae, cujus sunt cancri, marini conchae, quartam, & amplius, ulnae partem aequat longitudine, nec non circuitu.

Deinde etiam pisces inveniuntur cornuti, quos inter animal marinum *Uletif*, sive *Illetif* nomine est, cujus *Job. Renodaeus Lib. 3. Mat. Med. Cap. 24.* nec non *Thom. Barthol. de Unicornu Cap. 14. pag. 92.* meminere. De aliis etiam piscibus unum fronte gerentibus cornu *Olaus, Albertusque* scripserunt, quos inter & ille referendus est, cujus mentionem faciunt *Clusius Lib. 6. Exotic. Cap. 17.* ac *Bartholinus fol. 93.* Ut & marinus canis, quem *Haa* hic vocat *Epist. Med. Cent. 1. fol. 373.* Denique & Univornu aequoreum *Narbnal* nomine apud eundem de *Unicornu Cap. 15.*

Tertio etiam cornua gerunt locustae quaedam,

dam, quales *Catalanus* cum pisce *Uletif*, servare se scribit.

Scarabeorum quorundam meminit *Vormius*, quibus unum itidem cornu sit. Agit & de iis *Bartholinus de Unicornu Cap. 8. fol. 53.* qui & exactam, in quâ conspiciuntur picti, exhibet tabulam; qualem etiam dat *Moufetus de insectis.* *Albertus Magnus* quoque, ac *Ulysses Aldrovandus* ad amussim insuper de cornutis scripsere serpentibus; de quibus vide sis *Bartholinum de Unicornu, fol. 55. Cap. 9.* Inveniuntur & bicornes, tricornes, multicornesque: a cornibus enim nomen accepit *Cerastes* Serpens perquam maleficus, & pestilens. Recenset & volatilia Insecta unicornia *Aldrovandus*: è quorum genere & bicornia sunt, quale est illud quod cervus volans dicitur, quia cornua similiter, ut cervi, ramosa habet.

Quarto quadrupedia quaedam animalia singula unum fronte gerunt cornu, quae inter nonnulli & *Rhinocerotota* numerant, quamvis revera duo huic sint cornua.

Inter quadrupedes autem bestias quibus unum cornu est, *Onagri* etiam, seu asini agrestres, reperiuntur, in *Aethiopiae* degentes desertis, de quibus etiam *Aristoteles 2. Histor. Animal. Cap. 8. § 3. de Part. Animal. Cap. 2.* nec non *Aelianus Libr. 4. Cap. 52. Pliniusque Libr. 11. Cap. 37. § 41.* Ut & boves quidam, vaccaeque, & bubali, quorum etiam *Plinius Libr. 8. Cap. 2.*

mentionem facit, quibus unicum, tantum istis in regionibus cornu obtigit, sicut & equis nonnullis in Indiâ.

Bovis etiam in sylva Hercyniâ Cervi figurâ, cujus à mediâ fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magisque directum notioribus cornibus; meminit *Julius Caesar Libr. 6. de bello Gallico pag. mihi 246.*

Solinus Polybist. Cap. 65. fol. 194. de Bubus unicornibus & tricornibus refert.

Aliis autem in regionibus, ac praecipue in Africâ, caprearum genus quondam unico cornu notatur, quibus & accensendi Oryges; de quibus idem *Bartholinus dicti tractatus fol. 62. 69. ac 73.* legi potest: meminerunt tamen & horum *Aristot. 2. de Histor. Animal. Cap. 1. ac Lib. 3. de partibus Cap. 2.* nec non *Martialis Lib. 13. Epigram. 95.* ut & *Juvenalis Satyr. 9. vers. 140.* Cornutorum etiam leporum *Gassendus vita Perrescii. Lib. 2. pag. 96.* meminit, qui ex Norvêgiâ allati Lovanii fuerunt visi. Denique & verum Unicornu est, Indis *Carcazonus*, Arabibus autem, Persisque, ac Tartaris, &c. *Carcand*, sive *Carcandan*, teste *Aeliano Hist. Lib. 16. Cap. 20.* quamquam illi, pro locorum, in quibus degit, varietate, diversa obveniant nomina.

Atque haec quidem generalius de animalibus, quibus unum cornu nascitur, praemissa sunt.

Strictius autem Unicornu certum quoddam designat animal κατ' ἐξοχήν sic dictum, quod unum

unum ei cornu sit. De illo autem solo nostra instituta est disceptatio, quâ maxime videndum erit, deturne hujusmodi animal alicubi gentium, an secus?

- Verum quidem hoc Unicornu Ogygii diluvii tempore interisse, nihilque de eo restare, praeter ea, quae hodieque in Bohemia, Misniaque nec non Sylvâ Hercyniâ, ac extremis Thuringiae finibus è terra eruuntur cornua, nonnulli acriter contendunt. At illud ebur, cornuve fossile Monocerotis cornu verum dici nequit.

Thom. autem Brownius pseudo-doxiae epidemicae, seu de vulgi erroribus Cap. 23. pag. 301. haec esse fragmina lapidis Ceratitis ait, qui vulgo cornu fossile, cujusque variae, ac plurimae in Germaniâ è terrae sinu producuntur species, verique Unicornu nomine passim venduntur.

Haec autem fragmina nil nisi duriorum quandam materierum sunt petrificationes, ut cornuum, dentium, ossium, ramorumque arborum, quorum nonnulli adeo non omnino mutantur, ut originis proprietatem, odoremque etiamnum servant, uti ille de fraxinorum, juglandumque fragmentis testatur. Similia *Deusingius Dissertat. de Unicornu §. 39. pag. 278. quandoque & in Hollandiâ, praesertim palustribus locis, ac interdum in aestuario Groningensi, ut & Comitatu Meursensi, alibique reperta fuisse perhibet. Horum etiam meminit Sennertus Epitom. Natural. scientiae Lib. 5. Cap. 4. de lapid. & gemmis fol. mibi 74.*

Gg 4

Quam

Quam facillime autem saxea haec, ac fictitia cornua à veris discerni possunt: haec enim firma admodum, duraque sunt, ut vix radi, nedum contundi queant, linguaeque admota non adhaerent, ut illa quae non dura, sed veluti calcinata sunt; Ossa quidem videntur, cum tamen lapides minerales sint, quare nonnullo dissolvuntur negotio, contundunturque, ac veluti terra sigillata, linguae adhaerent. Usus autem eorum est ad vulnera, & ossa fracta conglutinanda, ulceraque sananda, dicunturque etiam epilepticis, & alvi Infantum torminibus prodesse.

Dictu tamen difficile est Unicornu isto periisse diluvio; neque enim permisisse videtur immensa Dei providentia, ut quaecumque tandem eo extingueretur animalium genus, nec revivisceret, sive ex servatis in Arcâ animalibus, sive aliis quibusdam modis. Hac autem de re lege, sodes, *Genes. Cap. 6. v. 19. 20. ac Cap. 7. v. 2. 3. 9. 15. 16.* Et certe si ejus meminit *Jobus* scriptor sacer, ut mox liquebit, non est statuendum, spiritum S. Chimaeram induxisse, si itaque post diluvium fuerit ab illo memoratum, tanquam animal notum, saltem famâ, & existens, qui potuit cataclysmo periisse? Ut jam non in parte vocetur *Aristoteles*, qui, ut se, rerumque omnium genera conservet, diligentissimam scribit Naturam; statuit quippe ea animalia, quae semel producta ab Universi Creatore fuerint, semper, quanquam sera in propagine, superfore.

Dari

- Dari non tantum animalia unico insignita cornu, sed Monocerotem per excellentiam vocari, ac à reliquis, quibus unum fronti cornu inhaeret, animalibus longe differre, non pauca adstruunt sanctioris paginae testimonia, ut *Num. 23. v. 22. 24, Itidem 24. v. 8. Deuteron. 33. v. 17., Hiobi 39. v. 1. ac 9. Psalm. 22. v. 22. Psal. 29. v. 6., Psal. 92. v. 11., Esaiæ 34. v. 7.* Qui utique omnes viri *Ἰσραηλῖται* post fatale scripserunt diluvium, ac graphice admodum, opinor, depictum Unicornu nobis, non fictitium tamen, etiamnum exhibent.

Animadvertendum insuper censeo illis locis non nominari tantum Monocerotem, sed & mysticam in eo latere doctrinam, quam exponere hujus loci non judico. Certe dubium non est, quin haec illi tacuissent, si non existeret ejusmodi animal.

Unicornu praeterea non tantum nominat sacra pagina, sed & eruditas admodum ex ejusdem natura imagines format, mirasque recenset qualitates, ut, Primo praedicatur ejus *ferox indoles*: *Jobus* quippe *Cap. 39. v. 12. &c.* Num tibi *servire* volet Unicornis, aut ad tua praesepia manebat? Num tu Unicornem subjugio ligabis in sulcis, ut post te liras occet? Tunc ei, qui sit magni raboris, confides, aut laborem tuum committes? An credes fore, ut tibi sata referat, & in tuam comportet aream?

Haec autem manifeste indicant verba nullâ

Gg s

do-

domari artē, nullis contineri vinculis, nec ullis subactam insidiis mansuescere Monocerotem; cum tamen vel ferocissimis jugum fuisse impositum animalibus, ut Leonibus, Tigribusque, &c. ab ipso mox tempore, quo producti essent, arte domitis etiam nuper *Elagien-sibus* meis constitit.

Secundo: memoratur *nobile*, praestantissimumque robur: dicti enim *Cap. 39. v. 14.* ita legitur; *Tute ei, qui sit magni roboris, confides?*

Numer. etiam *Cap. 23. v. 22.* ita *Bileamus* de populo *Israëlitico*: *Eduxit illum ex Aegypto Deus robore praeditus Monacerotio.* Confer *Numeror. Cap. 24. v. 8.*

Tertio: illius indicatur *animositas*, quam non sine laude *Bileamus* extollit, cum dicit: *Deus Israëlem ex Aegypto eduxit, est enim ejus robur* (aliis altitudo, aut animositas) *tanquam Unicornu.* Adde & *Psalmm 29. v. 6.* ubi, *Vox Jehovae, inquit Psaltes, confringit Cedros Libani, & exilire facit quasi Juvencos, Libanum, & Sirion mare pullorum Unicornium.*

Denique quarto refertur *indomita* Monocerotis feritas, nemo quippe, teste *Iobo Cap. 39. v. 12. &c.* asperrimum hoc animal domuerit. *Aelianus, Plinius, Solinusque*, ut & posteriores, nec cicurari, nec vivum capi posse audeat affirmant, teste *Bartholino de Unicornu fol. 207. Cap. 28.*

Atrocissimum, inquit *Salinus Polybistor. Cap.*

65. *fol. 194.* Monoceros est animal, quod vivum non venit in hominum potestatem, & interim quidem potest, capi vero non potest.

Sed hisce obstare videntur S. Scripturae loca *Genes. 1. v. 28. Genes. 9. v. 2. Psal. 8. v. 9.* ut & *S. Jacobi Epistol. Cathol. Cap. 3. v. 7.* Ubi legitur; *Omnis enim natura, & volucrum, serpentumque, & aqutilium, humanâ industriâ domatur, & domita est.*

Verum sciendum est illas bestias reverâ domari non posse, cum jam diutius in sylvis degerunt, iisque assueverunt tandem. Neque enim unquam hujusmodi Unicornu domitum fuisse constat. Subigi autem quid vetat unicornium catulos, nec sylvis, nec feritati assuetos? Certe poterit arte hisce imponi jugum. Neque aliter accipiendum crediderim *B. Jacobum.*

Simili plane modo Leones, Tigresque (uti modo diximus) & quicquid ferarum est, ab eo tempore, quo modo geniti sunt, humanae industriae traditi mansuetiores fiunt multò, ac, quamquam feritatem istam, nunquam omnem exisse videantur, recte tamen domitos dixeris.

Unicornes autem cum propter asperitatem, ac robur, tum quod remotis, inaccessisque ut plurimum lateant locis, ab hominibus non domantur.

Ad indolem hujus ferae etiam cornu excellens pertinet, neque enim illius in sacris paginis tantum reperias elogia, ut *Deuter. 33. v. 17.* ubi super

super *Iosepho* ita *Moses*: *Primogenitus ejus bds* maiestate praeditus est, & cornibus *Monocerotis*, quibus populos protinus ad extremum terrarum feriet. *Psalmo* etiam 92. v. 11. *David* ait de *Messiae* Regno: *Extolles meum cornu, veluti Unicornis*. Verum illud etiam hodieque Medici, imo & Barbari, eorumque locorum incolae in quibus colunt *Monocerotes*, plurimi faciunt, praestantissimumque adversus quaevis venena antidotum credunt.

Verum equidem est in *Sacro Codice* *Rem*, seu *Reem* modo *Monoceros*, modo *Rhinoceros* verti, utpote quo significetur exaltatus est; unde etiam fit, ut promiscue haec multi sumant interpretes: passim tamen *Hebraeorum Rem*, sive *Reem* septuaginta, plurimisque hodiernis interpretibus, quos enumerat *Sam. Bochartus de Animal. S. S. Part. 1. pag. 951*. Unicornis est: ut ex *Num. Cap. 23. v. 22*. aliisque locis constat, vulgata autem Latina versio ista nomina per *Rhinocerotata* in *Mosis*, *Jobique* scriptis reddidit, in *Psalmis* autem, *Esaiaque*, per *Monocerotem*. *D.* etiam *Hieronymus*, nunc hoc, nunc illud intellexit animal, quod quibusdam *S. Scripturae* locis non unicum tantum repariatur cornu, sed per numeri *enallagen*, cornua.

Ideoque *Psal. 22. v. 22*. *Rhinoceros* vertit, pauci tamen, nisi qui eum sequuntur, hanc admittunt versionem: Videatur quoque de *Jobi*, *Davidisque* locis *Joh. Pierius Hieroglyph. Lib. 2. pag.*

pag. 21. qui modo *Unicornem*, modo *Naricornem* verius legi existimat. Notum enim est, Rhinoceroti duo esse cornua, quamquam negantibus nonnullis. Illorum autem alterum in imâ fronte prope nasum, quo Elephantos aggreditur, iisque ventres perforat, alterum minus prope dorsum est.

Hebraeorum vero *Reem* geminum attribui cornu *Deuteron. 33. v. 17.* adeoque *Rhinocerotem* designari *Hieronymum* ait, quod Monoceroti unum tantum sit cornu. Vide tamen late de eo differentem *Sam. Bochartum de animalibus S. Scripturae Part. 1. Lib. 3. Cap. 27.*

Rhinoceroti etiam bina nasci cornua ex *Martiale Lib. Spectac. Epigram. 22.* palam est, qui sic de illo:

*Namque gravem gemino cornu sic extulit Ursus,
Factat ut impositas Taurus in astra pilas.*

quamvis longe aliter exponente *Bocharto d. Lib. Cap. 26.*

Testatur etiam *Pausanias Lib. 9.* non unum, sed duo Rhinoceroti esse cornua, alterum ingens, ac supra nasum natum, minus alterum, sed validissimum, paulo ad cervicem recedens.

Convenit *J. Caesar Scaliger Exercitat. 205;* nec non *Pierius Hieroglyph. Lib. 2. pag. mibi 21.*

Ac-

Accuratissimus hujus rei indagator *Histonymus Lusitanus* gente è Soc. Jes. in idem gemino cornu insignem statuit *Rhinoceros*, cum *Aethiopiae Descriptione* Germanorum linguâ editâ (neque enim aliam videre licuit) distinguendum dicat Unicornu ab *Abada*, sive *Rhinoceros*; id enim vel ipsa evincere nomina, cum *Monoceros* illud, hoc *Rhinoceros* vocetur animal, quibus utique non unum, idemque significetur. Corporis figurâ longe etiam haec differre notat animalium. Esse quippe *Monoceros* unum, idemque longum, rectumque cornu, quod efficacissimum sit contra venena remedium. *Rhinoceros* autem, sive *Abadae* bina cornua esse, nonnihil recurva, & ea quoque, quamvis non ita promptum, adversus toxica antidotum praestare scribit. Differunt praeterea multum haec ferae colore, pedum, capitibus, pellisque formâ, &c.

Gualterus Scouterus Lib. 3. *Itinerarii Indiae Asiaticae* pag. mibi 124. tradit animal, quod *Abadam* appellant Lusitani, vix capi posse vivum, propter vires, immensumque robur. Hujus autem cornu non tam longum esse ait, quam quod gerit *Monoceros*, cui alia plane sit forma; breviora quoque *Rhinoceros* crura esse asserit, rostrumque suum non multum dissimile, sed, proportionem habita, acutius paulo; cornu ei ex naso assurgere, atque initio crassius, versus superiorem partem multo tenuius videri, coloris-

longaque è fusco viridis, non omnino nigri (ut quidam falso) esse, quod autem cinerescum, albescensve fit, carius longe vendi, idque ipsos plurimi facere ait Indos. Addit & aliud huic animali cornu esse circa primam dorsi vertebram.

Verum vero illi, qui unum tantum Rhinoceroti cornu esse contendunt, minus illud cornu non considerarint tanquam tale, an vero variae dentur Rhinocerotum species, quarum hi duo, gemino illi insignes sint cornu, non usque adeo exploratum; quamquam verisimile esse scribat ejusdem generis animalia variis in regionibus forma nonnunquam aliquomodo differre. Hincis quippe, diversis in terrarum plagis interdum unum, bina quandoque, cimo & tria aliquando esse cornua. Ita ille pag. 2207.

Varia etiam est cervinorum cornuum, aliorumque animalium, pro regionum diversitate, forma.

Dati autem verum quodammodo sic dictum Unicornu plurimorum etiam, Doctissimorumque restantur virorum monumenta, quos inter Ctesias qui primus, teste Plinio Lib. 8. Cap. 12. de eo scripsit: nec non post hunc Philostratus, Aelianus, Plinius, Isidorus, Albertus, alique.

Philostrophus scriptor Græcus, hoc descripsit animal Cap. 30. Unicornem, inquit, est animal capribus, & monsu crudeliter feriens, cui cornu ferrissimum media prominet in fronte, non concavum aliorum instar cornuum, nec leve, planum-

ve,

ve, aut politum, sed limâ ferreâ asperius, ad modum tamen limacis convexum, & striatum, teloque acutius, eo quod recurvum non sit, sed directum, nigrumque, excepto mucrone. Eadem legas *Aeliani variar. Hist. Lib. 16. Cap. 20. Plinius Lib. 8. Cap. 21. fol. 138.* Qui omnes hoc animal vivum capi negant. His adde *Solinum Polyhist. Cap. 65. pag. mibi 199.* nec non *Gregorium Lib. 31. moral. Cap. 13.*

Paulus Jovius Hist. Lib. 18. fol. mibi 872. De *Gogianis* in Africâ, Nilique fontibus agens ejusdem Regni Incolas affirmare tradit alatos ibidem reperiri Dracones, nec non Monocerotem, cui sit pulli equini forma, color cinericeus, cervix jubis decora, hircina barba, ac cubitale cornu, longe efficacissimum contra venena antidotum.

Montanus Descript. Americae Cap. 3. de novo Belgio fol. 125. in *Canudas* pris nonnunquam conspici animalia scribit, quae equis non omnino sint dissimiles: his autem bifulcas ungulas, ac hirsutas jubas, nec non caudas, quales sunt apris, nigros oculos, & cervinas cervices, singulisque unum mediâ in fronte cornu esse ait, hæc etiam vastissima, ac quam maxime deserta petere loca, aliudque ab alio ita timeri tradit; ut nec mares cum foemellis pascantur, nisi coitus tempore, quo feritatem poni, postea vero illa eâdem, quâ antea, ferocitate non quævis tantum animalia, sed & sui similia aggredi ait.

Idem pag. 214. in Insulâ *Californis*, quæ est

Re-

Regni Quivirae, feros reperiri equos testatur uno, sed ingenti, frontem insignes cornu, quibus Mustelina pellis, cervinumque caput, ac cervix brevior, nec non ab una parte dependentes jubae, ut & tibiae graciles, caprinique sint pedes.

Paulus Venetus Lib. 3. Cap. 15. de Regno Bafman in *Java minore* sic habet: *Inveniuntur apud eos Elephanti, & Unicornes in magnâ multitudine, & sunt Unicornes paulo minores Elephantis, pilum habentes Bubali, & Elephanti pedem; habent caput, ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis. In medio frontis gestant cornu unum grossum, & nigrum. Linguam habent spinosam, quâ laedunt homines, & animalia.*

Ut autem magis liqueat veram, proprieque dictam monocerotem existere, *Plinium* in partes vocabo: Hic enim *Lib. 8. Cap. 21.* postquam modo adducto capite de multis, admirandique egisset animalibus, quibus unicum, fronti cornu esset, ac tandem ferae cujusdam, libero Patri sacrae, cui nomen *Axis*, mentionem fecisset, *Orsei*, inquit, *Indi simias candentes toto corpore venantur. Asperrimam autem feram monocerotem reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus Elephanto, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, mediâ fronte cubitorum duum, eminente: hanc feram vivam capi negant. Videtur autem Plinius per Orseos Nysae Indiae urbis Incolas intellexisse. Haec autem ad Meri mon-*

Tom. I.

Hh

tis,

tis, ubi *Bacchum* a Nymphis educatum *Diodorus Siculus* tradit, radicem sita est. Urbem autem, ac montem Deo isti sacrarant prisca, testantibus, praeter *Plinium dicto loco*, *Juvenale Satyr. 7. v. 63. Lucanoque Pharsal. Lib. 8. v. 227.* aliisque. A *Nysa* autem urbe, cui praecerat, *Bacchus* forte *Dionysius* dictus est. Quam maxime autem animadvertendum censeo, hisce omnibus, quae a *Plinio* cum de Monocero, tum de urbe *Nysa*, sacrisque in *Bacchi* honorem ab incolis institutis traduntur, convenire cum monetâ quadam libro miraculoso *Pyrrhi Ligorii*, excellentiss. *Ferrariae Ducis* antiquarii ob eam memoriam solam religiosè asservandâ, insertâque, cui insculptus est monoceros inclinans caput, & cornu cantharo *Baccho* sacro immittens cum hac inscriptione; *Nyseon*. Quo symbolo non tantum religionem in *Bacchum*, sed & venerationis laudem quam sibi jure merito, quod tam asperam feram venati essent, deberi credidère, significârunt.

Unde *Baccius de Unicornu fol. mihi 62.* è conjecturis bonis rationibus fundatis colligere se ait, fuisse hunc *Alexandri Magni* nummum, quod *Graeca* inscriptione *Nyseon* insigniretur, quae *Chaldaea* minime, ac multo minus *Indica* sit. Certum quoque est nullum *Graecorum*, aliorumve *Europaeorum* praeter *Alexandrum* in hos jus habuisse populos. Hic enim victo *Dario Persarum Rege* totum nominis sui terrore Orientem

im-

implevit. Ita ut prospero successu *Herculis* terminos, qui in urbe *Nysæ* erant, ac *Gangem* transgressus fuerit, *Brachmanæ*que, quos hodie *Braminos* Indi dicunt, viderit. Ille autem *Nysam* urbem, aliosque populos, apud quos, aris erectis, solennia instituit *Baccho*, *Herculi*que sacra, precipue tutatus est. Ac sicuti summus ille terrarum Rex, quacunque pateret Imperium, ad insignium victoriarum memoriam passim arcus, aras, Pyramidasque, aliaque Trophæa erigere solitus erat, quæ *Ptolomæus* in *Riphaeis* etiam montibus, ac prope *Caspium* mare, nec non apud *Sogdianos* in *Asiâ*, Indiâque in *Hydaspi* fluminis *Nysam* præterfluentis ripis erecta describit, *Solinus*que *Cap. 65.* ac *Plinius Lib. 6. Cap. 18.* aras *Alexandri Magni* itinerum terminos in *Hypbæis* ulteriori ripâ positas vocant. Ita enim verisimile fit *Macedonem* augendæ famæ, gloriæque ergo, quam tot clarus victoriis longe, lateque extendere cuperet, ejusmodi nummos cudi jussisse; qui qualescunque sint, evidenter, quale animal monoceros sit in *Nysæ* propriè montibus ortum, demonstrant.

Ne quem autem altum scribentium de Unicornu moretur silentium, cum tamen per tot, tantasque terras se diffuderint *Alexandri* arma, ac nomen, Sciendum est *Onesicritum* Philosophum, Historiographumque (quem & Medicum fuisse, ac in Insula *Astypalæa* natum, nec non in *Diogenis* schola eruditum *Alexandro* militasse, ejusque

originem, laudesque monumentis ad posterorū transmississe apud *Strabonem Lib. 15.* legimus, cuiusque *Curtius Lib. 10.* ac *Solinus Cap. 66.* mentionem faciunt.) memorare apud *Prasios* (gentem *Indiae* celeberrimam, cuius & *Aelianus Hist. Animal. Cap. 20.* *Pliniusque Lib. 6. Cap. 19.* meminēre) equos Unicornes cervinis capitibus reperiri.

Verum jam nunc audire mihi videor dicentes, si, quales modo descripsisti, monocerotes dentur, qui sit, ut tam raro conspiciantur, atque adeo varie de iis scriptores loquantur?

Haec autem nihili faciet, quisquis mecum consideraverit asperrimam esse feram Monocerotem, ac in vastis, desertisque degentem locis, montibus videlicet *Africae* ut plurimum, ideoque rarius in hominum prodire conspectum. Adde, quod & indomitum sit animal, nisi forte capiantur catuli; quales ad *Prasiorum* Regem olim fuisse adductos *Aelianus Hist. Animal. Lib. 16. Cap. 20.* auctor est, quam historiam *Plinius Lib. 8. Cap. 21.* confirmat; qui festis dein diebus robora ostensuri in arenam producti fuerint.

Accedit, quod haec fera, si casu quodam grandior in hominum pervenit potestatem, ob aëris alimentique mutationem facillime extinguatur in longinquas abducta terras.

Sunt tamen plurimi, qui vidisse se monocerotem testentur. Sic *P. Venetius Lib. 3. Cap. 15.* in *Tartaria* vidisse se Unicornu scribit.

Lude-

Ludovicus Vartomanus Itineris sui Aethiopici Lib. I. geminos Unicornes Mechae se vidisse asserit. Majorem equino pullo 30. menses nato haud absimilem credit. Prominet in fronte cornu unicu-
m, longitudine trium cubitorum. Longe natu minor est alter, utpote anniculus, ac equino pullo simillimus. Ejus cornu quaterni palmi longitudinem non excedit. Coloris est id animal equi mustelini, caput cervi instar, collo non oblongo, rarissimaeque jubae ab altera parte solum dependentes. Tibias habet tenues, eademque graciles admodum, hinnuli modo. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes ferme referentes. Tibiarum posteriorum pars exterior villosa est, pilique plurimi. Sane id animal ferum videtur, verum ferociam nescio quâ comitate condit. Advecti sunt ex *Aethiopiâ ab Aethiopum Rege ad Mechae Sultanum*, quem vocant.

Aloysius Cadamustus Itinerarii sui Cap. 50. itidem conspexisse se Unicornu eâ in novi (quem vocant) Orbis parte memorat, quae *Indiæ* quam maxime propinqua est.

Idem ille, cujus supra memini, Pater *Hieronymus Lusitanus è Soc. Jesu* indagator strenuus tradit *Descriptione Aethiopiae*, quendam etiam è Soc. Jes. itinerisque socium, qui aliquo tempore in Aethiopiâ, sive Presbyteri Joannis (quem vocant) terris degisset, avidum maxime fuisse hujusmodi cornuti animalis habendi: qua-

propter ad eum adductum fuisse à matre recentem catulum. Hic autem usque adeo laborum impatiens erat, ut paucis post diebus extingueretur. Meminit & idem Lusitani cujusdam Tribuni, qui ipsi narraverit, quomodo cum viginti exercitus militibus in iisdem oris viderit parvae vallis denso nemore cinctum equum perfectum formâ, pilisque, ac colore, cujus unicornu esse dicitur. Dixerat quoque ille equo mediocri animal illud magnitudine par fuisse, coloreque subnigro, ac caudâ, ut & júbis nigris, pilisque brevibus, ac paucis, nec defuisse fronti elegantibus distinctum lineis cornu, cujus quinque circiter spithamas longi color albesceret.

Thom. Bartholinus Hist. Anat. Cent. 2. Hist. 61.
Franciscus, inquit, *Marchio de Magellanes Africanus*, nomine Regis sui Guinensis ad Curlandiae Ducem Legatus Hafniae 1652. subsistens in patriâ suâ Unicornu reperiri dixit è genere quadrupedem saepe a se visum, nec de eo in Africa dubitari. Atque ex ejus relatione se comperisse idem scribit Unicornu *Afris Tirè Bine*, quod est cornutum animal, dici, velocissimumque, ac ferum animal in deserto *Gand* oberrare, unde vivum capi nequeat, sed sagittis figatur, Cadaver tamen reperiri, quod à veterum Monocrote non multum distet. Magellanicus tamen vivum non viderat. Unicornu autem illud, referente ibidem *Afro*, magnitudine, & forma me-

mediocrem exprimit equum, capite, cruribus, & pedibus pilosis, jubâ brevi, vixque spithamam longâ, caudâ equinâ, nec valde pilosâ. Cutis omnis glabra, pilisque brevissimis. Linea nigra per dorsum cinereum excurrit: à maxillâ autem inferiori ad abdomen color candidissimus est. In fronte crinium fasciculus visitur, è cujus medio cornu unicum prodit, cui ille quamvis a fronte separato adhaeret. Cornu autem vix tres superat spithamas octo, vel novem circiter pollices in basi crassum: nec tamen hoc in gyros instar borealis cornu contortum est, sed exiguas tantum habet incisuras; color ei flavus est circa radicem cavo. Mas solus cornu isto, foemina caetera mari simillima sine eo visitur. Reliqua vide sis apud *Bartholinum d.l.*

Vincentius Blanquius Cap. 25. fol. 129. Itinerarii per totum terrarum orbem, tradit se in civitate *Canaranensi*, quae est Regni Peguanii in Indiâ, apud hospitem quendam fuisse commoratum, cui duo Monocerotum fuissent cornua, quorum alteri ossis frontis etiam tum adhaesisset pars. Ille virum hunc interrogatum, viventiane vidisset hujusmodi animalia, respondisse narrat, se duo tantum conspexisse, quibus parvis admodum nondum essent cornua, alterumque à Rege venante fuisse captum, matrem vero nunquam apparuisse quavis quaesitam industriâ; Monocerotes enim hominum conspectum fugere, serpentumque majorum vitare dicuntur oc-

cursum, utpote qui ipsis quam maxime infestinoceant.

Memini equidem, ait idem, me illud Unicornu in Peguensi regio septo vidisse, cum longe ejus linguam ab aliorum animalium linguis, utpote longam, asperamque differre, caput autem cervino magis, quam equino simile esse animadverti. Pilis etiam ea animalia plurimum discerni tradit. Qui vero Monocerotem regunt, alimentaque praebeant, impuram feram dicunt, suoque delectatam foetore, nec unquam demittentem cornu in aquas vidisse, cum biberet, dicunt.

Indorum reliqui tam multa, diversaque de hac tradunt ferâ, ut, cui nam credendum sit, vix videas.

Braminorum (quos ille vocat) è numero quidam dicebat, dictumque Jurejurando confirmabat, se Regi *Casubi*, cum horum Unicornium unum caperetur, adfuisse, illud autem candidum, ac valde annosum, maxillisque eò usque foras prominentibus fuisse, ut cute nudati longe ordine conspicerentur dentes. Memorat etiam ferociter se defendisse, cornuque inter arboris cujusdam ramos avulxisse, captumque, ac vinctum Regi traditum quinque tantum superfuisse dies: Neque enim quidquam cibi sumebat, quod vapulâset inter capiendum post Regis nepotem vulneratum. Unde indomitam, flectique nesciam esse feram quivis conjiciat.

jiciat. Scribit & Reginas ex illius ossibus armillas confici jussisse, Regem *Casubi* autem sibi retinuisse cornu, ut & se *Courbeum* quendam itineris socium, cum per quinque menses in aula Regia degissent, rogâsse, uti cornu illud conspiciendi licentiam peteret, Regem autem allatum cornu *Courbeo* donâsse, qui præstantissimum, ut munus munere compensaret, horologium Regi dono dederit. Illud autem cornu multum colore tradit *Blanquius* ab iis diversum fuisse, quæ *Mechæ*, alibique vidisset, cum id è cinereo albescentis, hæc autem subfusi essent coloris. Regem etiam ipsis conjugis suæ armillas ex alia ejusdem cornu parte confectas, ac optime olentes, totiusque capitis ossa à Principe quodam istius Regni in arca conservata ostendisse memorat.

J. H. Seyfrid Medullæ memorab. Naturæ fol. mibi 593. ex *Otthone Guericke* tradit Anno 1663. *Quedelinburgi* in Saxonia in campo quodam integrum monocerotis sceletoni, quâ formâ hujusmodi animalia jacere solent, sed capite elevato, fuisse repertum, cujus fronti adhaereret cornu quatuor plus cubitos longum, ad longitudinis proportionem crassum, cornu autem, caputque unâ cum aliquot costis, spinâ dorsi, atque ossibus reverendæ admodum Principi *Abbatissæ* ibidem degenti traditum fuisse.

Testes autem hosce oculares inter se, aliosque qui ex aliorum tantum scripsere relatu, ita in

describendo cornu discrepare non adeo miremur: Ita nonnulli, qui animal id non vidēre, cornu istud, cui diversos admodum colores attribuunt, modo laevem, modo inaequalem, striatumque ajunt, modò negant, alii tres spithamas longum dicunt, quidam etiam quinque, incisosque asserunt nonnihil pedes, refragantibus iterum aliis.

Cornuum autem, pilorumque colorum diversitatis causa haud dubie est actatis, (ut ex *Blancquie* adductis liquet) vel etiam regionis differentia.

Ita candidi reperiuntur corvi, ursique, ac lepores in Islandia, nova Zemblâ regionibusque Arcto vicinis. Albos etiam quoque cervos fuisse conspectos *Aristoteles libro de coloribus*, *Pliniusque Lib. 8. Cap. 32. fol. mihi 142*, ac *Bochartus de Animal. S. Scripturae pag. 963*. tradunt. Albentes etiam nonnunquam reperti fuere Elephanti, quos divinis pagani affecerunt honoribus. Reliquas vero circumstantias regionum, aërisque, ac alimentorum, opinor, varietas efficit, uti id aliis non tantum animalibus, sed & ipsis contingit hominibus, quibus indoles, moresque pro aetatis, plagarumque, nec non nutrimenti differentiâ longe dissentiunt.

Illis autem, qui, cum ex relatu, aliorumque, tantum fide scripserint, errârunt, ignoscendum esse reor.

Anne etiam dissentientium videmus de Rhino-

nocerote opinionum agmina, qui copiosius multò, saepiusque reperitur, quam Monoceros, ita ut dixerit *Aelianus Hist. Animal. Lib. 17. Cap. 40.* supervacuum fore, si quis Rhinocerotam descripserit, quem tot Graeci, Romanique coram aspexerint, optimeque norint. Multum tamen plurimorum de eò discrepant monumenta. Ajunt namque *Bontius*, ac *Neobosius* eum coloris esse subcinerei, *Plinius* autem, & *Strabo* in spectaculo à *Pompejo magno* instituto, Rhinocerotem subflavi coloris conspectum fuisse memorant.

Testatur *Anderfenus* pellem ei esse è nigra caeruleam, quidam plicatam eam, squammeam vero nonnulli, tergumque scutulatum, ac veluti perpetuo thorace munitum asseverant. Duo huic ferae cornua alij attribuenda, unum tantum alij pertinaciter contendunt. Denique illud modo nigrum, modo cinericeum, albumve, unumque pedem, cubitive partem quartam longum dicunt, minus autem esse varii, duos vero pedes longitudine aequare ab his diversi statuunt.

Considerandum denique reor verum Unicornu rarius in hominum potestatem pervenire, ac reperiri. Atque hinc quidem contigit, ut tot arte, fallaciâque veritatem imitantē conficta, vel aliorum etiam animalium cornua pro veris habita, magnatibusque obtrusa sint, utque tot, tantique viri splendidam fabulam Monocerotem, vanumque ejus cornu contra quaevis

toxica crediderint antidotum. Quamquam & hī culpā qualicumque absolvendi sūt, quod miris, nec adeo compertis difficilius fides habeatur: ut *Horatianum* illud huc transferam.

Segnius irritant animos demissa per aures,

Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

Praesertim cum usu didicissent has isti cornu vires non esse, quod, cum esset alterius animalis, falso monocerotis crediderant.

Ab sit tamen, ut quisquam propter hanc scribentium discrepantiam inane tantum nomen existimet Unicornu. Quandoquidem enim rarior haec fera est, solisque lateat in locis, atque non ita multis nota sit, non erraverit fortassis, qui nonnullos eam pro lubitu, erroneisve narrationibus, picturisque inductos descripsisse dixerit, non inepte enim *Flaccus*:

Ficta voluptatis causā sunt proxima veris.

Denique quoniam plura sunt uno frontem munita cornu animalia (ut supra notatum) quae hoc certe, cum sit unicum, Unicornem excellentiorem referunt, facile contingere potuit, ut errores, naevique in eorum scripta propter multum a se distantium bestiarum male conjunctas, separatasve qualitates irreperint.

Quod si quis scire gestiāt, qui fiat, ut nec

Hip-

Hippocrates, nec *Galenus* Monocerotis memin-
nerint, cum ejus cornu tam praestantissimum
dicatur contra quaevis venena antidotum?

Interrogari poterit, quid causae sit, quod
non aequè scire desideret, cur nullam *Rhabar-*
bari, aloëve *Hippocrates*, nullam itidem fol-
sennae Alexandrinae, Camphorae, spermat. Ce-
ti &c. *Galenus* fecerit mentionem, cum tamen
eorum illa tempore extiterint?

Certum etiam est, nec *Hippocratem*, nec
Galenum, *Dioscoridem*ve unquam vel famâ tan-
tum Ambram gryseam, lapidemve Bezoardi-
cum, aut Guajacum, vel Sassafras, Salsamve
Parillam, Guttamve Gemou, aut denique Me-
choacan. novisse: Licet autem his viris egregiis
ista minus fuerint nota, ideone eorum tempo-
ribus eodem, quo nunc producuntur modo or-
ta fuisse sanus quispiam inficiabitur?

Plurium insuper rerum, quae è longinquis ad
nos apportantur plagis, vel etiam desertis pro-
veniant in locis, ac minus solitae, rarioresque
sunt, licet formam, aliasque ignoremus circum-
stantias, optime tamen innotescit usus. Quam
variantes etiam de *Rhabarbaro* bene multi opi-
niones scriptis fecêre notas? Ignorabatur, quae-
nam esset planta, & quibus haec venisset ab oris.
Quam incertae etiam de *Castoreo* sententiae
sparsae sunt, quod ex *Fibri testiculis* nonnulli
constare hariolati erant? Quam ambigue etiam
multi *Ceti semen*, *Ambram gryseam*, monstrive
cu-

cujusdam excrementum, vel piscis alicujus hep-
par, aut avium fragrantibus nutritarum herbis
alvinas faeces fluctibus in mare a celsis detrusas
rupibus, aut denique fungorum maritimum
quoddam statuere genus?

Similiter etiam nuper varia admodum, dis-
crepantiaque *de Succino* prolata sunt judicia, a-
liis illud bituminis quandam speciem, cretam-
ve, resinam aliis ab arboribus quibusdam pro-
manantem, nonnullis autem bestiarum quoddam
excrementum clamantibus.

Quam aliena etiam à veritate nuperrimè de
Spermate Ceti prodita sunt! ut & ipse *Caspar
Hofmannus de Medicam. Officinal. Paralipom. Cap.
66. fol. mibi 678.* se nescire, quidnam sit, aperte,
ac ingenue fateatur. *Scraderus Pharmacop. Med.
Chem. Lib. 3. Cap. 31. fol. 170.* inter Scriptores de
ejus origine non convenire ait, quandoquidem
quidam balaenae genituram dicant; sed immeri-
tò, ut sentit ipse, quod illud ipsum etiam iis repe-
riatur in locis, quibus nec vola quidem, aut vesti-
gium balaenarum sit. Alii salis florem dicunt,
cujus meminerint veteres, adeoque sal maximum
spumosum vocant. Sed nec hi saniora sentiunt, flos
enim salis veterum rubebat, eratque tenuis, a quo-
susque, ac subsalsus, nec non detergere aptus. Ha-
rum autem qualitarum Spermati Ceti nulla inest.

Hoc autem, quin è Ceto proveniat, dubitare
non sinunt non ita dudum nota argumenta.

Piscis enim quidam è Balaenarum generibus in
lit-

litus impulsus Norfolciense, repertusque a piscatoribus fuit 60. pedes longus, cujus è capite fluentia olei, ac Ceti spermatis profluxere, ac a piscatoribus collecta, asservataque sunt diligenter. Aperto autem capite ipsa spermatis reperta fuit, ut sic dicam, officina certis conclusis cancellis iusto ordine dispositis, qui anserinis ovis magnitudine pares, laminisque vel adulti hominis caput magnitudine aequantibus obtekti, favorumque formâ albentes, atque oleo scatentes essent, teste *Brownio Pseudodoxiae Epidem. fol. 318.*

Hoc autem sperma Ceti naturale est, nostrum autem, quod passim in Pharmacopoliis prostat, mere factitium, & compositum, duplicis est generis: Alterum è cerebro, alterum quod à balœnae conficitur pinguedine.

Sed nec dum etiam satis constat, cujus arboris sit *Agallochum*, sive *lignum Aloës*, quibusve crescant *Malabathri* folia truncis. Illius namque tantum scimus arborem desertis, inaccessisque florere in locis, nec nisi hujus frustra tantum conspici, quae quotannis exundantes Gangēs, Indusque, alique Orientis fluvii trans ripas eji-ciunt, ac bene olentia accolis colligenda relinquunt. De malabathri foliis autem (quae tamquam praestantia aromata *Theriaca* plerumque admixta fuere, ac quorum defectum nunc simile quid supplet) non convenit inter scribentes. Verum non ita diu constitit illa *Canellae* arboris esse folia, quamquam hujusmodi arborum varia ge-
ne-

pera in *Malabaria*, insulisque *Ceyland*, ac *Japana*, alibique sint, aliaeque verum *cinnamomum*, *cassiam* ligneam aliae, *Malabathri* autem folia nonnullae producant; annotante *Jacobo Brejnio Obs. 130. Miscel. Cur. Med. Phys. Anni 4. pag. mibi 439.*

Nuperrime quoque dubitârunt nonnulli, unde *Camphora* originem duceret: certatum quippe diu, atque in diversas itum est sententias, illis eam è frutice prodire, his minerale dicentibus. *Agricola 4. fossilium*, *Eusebius Lib. 1. de Compon. Medicam. ac Caesalpinus Metall. 33. Indicam*, sulphureamque ajunt *Camphoram* terram esse; *Matthioli in Dioscorid. Lib. 1. Cap. 75. fol. 104. Arboris* cujusdam Gummi esse statuit in montibus Indicis, quibus sit vicinus Oceanus, tantâ crescentis multitudine, altitudineque, ut centum aliquoties homines simul patulo tegmine, umbrâque contegere queat.

Garcias ab Horta Archiater quondam Vicarii Regis in India Cap. 11. Aromatum fol. mibi 48. satis ostendit minus recte se hanc novisse arbo-rem, licet diutius istis in regionibus vixerit; Is autem mercatores Lusitanos insinuat, qui, dummodo lucri bonum esse odorem ex re quilibet sciant, parum sint solliciti, quas ferat tellus, quam adeunt, arbores, quibusve hac insignes existimentur fructibus.

Ante paucos autem annos demum constitit è cortice radicis *Canellae* arboris oleum, ac sal quod-
dam

dam volatile per distillationem prodire, quod posterius frigesfactum ab oleo sejungitur, ac deorsum vergit; quamvis per coctionem etiam ab illo *Campbora* separari possit.

Quispiamne etiam scire se autumet, cujus arboris sit *Thus* nobis adeo usitatum, & unde plurima Gummi proveniant? Temerarium certe duco, quod non videris, continuo velle negare, quando rerum etiam naturalium saepius multa caligine tegitur ratio, ut non nisi multâ erui possit industriâ, praecipue si rariores sint, ac in longinquarum tantum terrarum pene inaccessis reperiantur locis. Humanum igitur est, si quis in hisce erret.

Statuo itaque, quandoquidem multorum, quorum quotidianus est usus, vix innotescit origo, ac indoles, non negandum esse Unicornu existere, quamvis non ita multis notum sit, cum quod rarius propter jam dictas rationes reperiatur, tum quod nunquam fere vivum capiatur. Et Observandum profecto est, omnes uno ore scriptores hoc ipsum asserere.

Sed nec sic quidem cuivis satisfecero. Erunt quippe, qui dicant, si alicubi in terris hoc existat animal, cur non *Romani* etiam, quorum Imperium Oceano, fama astris fuit terminata, hoc animal in Triumphis (quos Victoribus saepe decrevere) circumduxerunt, vel quid ni etiam pugnaturum more Rhinocerotum, Elephantum, ac Tigrium, nec non Leonum, Uro-

rumque, ut & Urforum, atque Orygum in Amphitheatra induxerunt?

Sed & his, quod saepius dictum, respondendum: Animal rarissimum esse monocerotem, ac nunquam fere vivum capi, quin & indomitum esse, captumque, dum alio transfertur per mare, facile extingui, uti & Rhinocerotes, Cameli, aliaeque ferae: cujus rei *Aelianus* quoque *Lib. 10. Cap. 18. fol. mihi 295.* rationem reddit, *Bacchiusque fol. 35.* alique testimoniis confirmant. Idemne etiam plurimis herbis, aromatibusque e longinquis regionibus hasce in terras advectis contingere videmus?

Verum quotusquisque est, qui Romanum imperium nequaquam ad eam Indiae partem, quam *Indus*, *Gangesque* rigant, ac in qua Monocerotes copiosius reperiuntur, extensum fuisse ignoret: Ipsi namque Romani nunquam *Parthis* virtute militari superiores fuere, utut quandoque de iis fuis, fugatisque triumphaverint. Vix enim trajecto *Euphrate* eorum quam latissime patentes fines viscerant; cum paulo post amissis cecedit *Crassus* signis, inultaque erravit umbrâ.

Quid autem de cornibus, quae in Europa nostra Reges plurimi, Principesque, alique potentiores quam religiosissime tanquam Unicornium asservant, dicendum?

Verisimile est ea, quae saepius conspiciuntur, non unius, ejusdemque animalium generis esse,

sed

sed plurium, quibus tamen unum tantum frontem tueatur cornu. Alia enim lincis circumductis distincta cornua, glabra alia, ac modo candida, modo nigra sunt. Sic etiam duo cornua colore nigro mucronibus acutis, ac superficiebus in spiras contortis *Ferdinandus II. Imp. Rom.* sibi comparavit quondam, sed Onagrorum illa erant.

Quae bina *S. Marci* Aerario custodiuntur Venetiis, aequalia, glabraque sunt, ac Onagrorum cornibus quam maxime sunt similia.

Illa autem quae in *S. Dionysii Fano* prope *Lu-tetias*, nec non *Windsorae in Anglia* monstrantur, in spiras quoque contorquentur, qualia sunt omnia, quae in *Dania*, *Moscoviaque*, nec non *Germaniâ*, ac *Trajecti ad Rhenum* visuntur. Ideoque non tantum credunt *Dani*, sed & demonstrare posse se dicunt, omnia haec ex ipsorum Regno provenire cornua, quibus testis accedit *Bartholinus Epist. Cent. 1. fol. 237.*

Frequentes enim hae fuerunt olim merces, cum libera, notaque esset è *Norvegia in Graenlandiam* navigatio, ac quotannis in utramque regionem ut plurimum hinc inde institueretur. *Dani* autem tum temporis falsa haec cornua non piscium quorundam dentes, sed *Monocerotia* dicebant.

Scribit *Vormius musei sui Lib. 3. Animal. Cap. 14.* omnia ista, quae inde proveniunt, immerito dicta cornua dentes esse cujusdam balac-

nae, quae in *Groenlandiâ*, *Islandiâ*que *Narbual* vocetur, ac sic balaenam dicas alimento viventem. Est enim *Hualbalaena*, *Nar esca*. *Bochartus* autem *Islandis* ita vocari scribit, quod cada-veribus vesci credatur, *Lib. de Animal. S. S. Part. 1. pag. 956*. Horum autem piscium quidam vel 40. longi sunt cubitos iisque, scribente *Vormio*, summo in capite duo sunt foramina, ad ipsum os penetrantia, per quae respirant, immissamque pro lubitu aquam egerunt. Hosce autem dentes esse, hinc liquere ait, quod singuli superiori mandibulae affigantur parti. Dentes etiam, non cornua vocat *Angrimus Jonas* *specimine Islandico*.

Censet etiam *Aristoteles* omnibus *Monocerotibus* media in fronte cornu nasci; hi autem pisces falsa ista cornua anteriori mandibulae parti, cujus cavernis plerumque aliorum inseruntur dentes, affixa gerunt. Ita ut, quod antea cornu creditum fuit, ex huiusmodi piscis frontis osse dentem esse constet, quoniam isti per *Symphysin* ossi non conjungitur, sed superiori maxillae per *Gomphosin* infigitur. Nulli autem praeter hunc maximum balaenae isti dentes sunt, quo glaciei fragmina ingentia, si quibus cingatur, non sine violentia rumpit, ut transitum sibi aperiat, unde & ille interdum laeditur, partemve sui amittit, quales saepe in Littore reperiuntur. Dens autem ille prope cranium aliquomodo cavus est, atque in eo parvulum quandoque cornu,

nu, si ita vocare liceat, crescit ejusdem plane formae, cujus est ille, uti apud *Vormium* Cap. 14. fol. 285. legere est. Unde *Simon Viresius* Lib. 1. *Groenlandiae antiquae* fol. 39. credere se ait hisce piscibus dentes istos tandem excidere, aliosque iterum nasci pari modo, quo infantibus, ac interdum adultioribus contingit, ut à novis crescentibus dentibus priores illi propellantur, protrudanturque. Atque ideo quidem credit tot ejusmodi dentes à piscium separatos capitibus in *Groenlandiam Islandiamque* à glacie provehi.

Paulus etiam *Jovius* Lib. 18. *Hæstor.* de vero Monocerotio agens cornu, id, inquit, vivo animali non detrahitur, cum ullis insidiis intercipi nequeat. Cornu tamen sponte decisum in desertis reperitur, ut in cervis accidere videmus, qui ex senectæ vitis, renovante natura, vetus cornu exuunt, penantibusque relinquunt.

Rochefortus de *Insulis Americae præsentis* Cap. 8. fol. 159. aliam quandam Unicornis marini describit speciem, qualem in *Testudinum Insulae*, quæ non procul *S. Domingo* est, littora fuisse expulsum narrat Anno 1644. Hic autem piscis octodecim pedes longus, ac totum corpus squamis magnitudine nummi Imperialis, vel Philippici, (quem vocant) coloreque caeruleo obtectum erat: Isti autem Unicorni equino paulo majus caput erat, sed forma pari, pulcerrimoque frons conspicua cornu,

Ii 3

quod

quod novem cum dimidio pedes longum, directumque, ac sensim tenuius acuto spectabatur mucrone, hujus autem partis capiti proximae circuitus sedecim pollices latus erat: Ipsum autem cornu instar cochleae Torcularis contortum erat; quin & coronae quaedam imago capiti inhaerebat. Piscis autem formam ipse exhibet *pag. 162.*

Nunc autem de hujusmodi cornuam viribus nonnihil dicam. Ipse etenim quaevis quadrupedum, sive Unicornium sive multicornium cornua contra venena antidota praebere statuo, quod volatile quoddam sal contineant. Hoc autem spiritus concitat, sanguinemque longe reddit tenuiorem, nec non cor ipsum maxime roborat, venenis adversatur, & pestilentibus febribus insigne est remedium, humores noxios per sudorem, & urinam expellens: longe tamen majorem huic, quam illi cornu resistendi venenis inesse efficaciam, imo vehementius se his opponere crediderim cornua, quae in calidioribus reperiuntur plagis, quod plurimum haud dubie volantis salis includant.

Nec veteres cornuum virtutes salubres ignorasse videntur. Hinc enim est, quod olim cornibus biberint. Unde *Sor & Alex & Alex* *miscere, ac bibendum praebere*, hinc autem *negare*. Urorum etiam cornua potuum gerula facta fuisse inter regias mentes *Solinus Cap. 32.* prodit. Tradit etiam *Aelianus* potentiores

res

res apud Indos cornibus asini Indici bibere solere: quod & affirmat *Philostratus vitae Apollonii Thyanaei Lib. 3.*

Septentrionis autem incolis maxime cornua poculorum vices supplerunt. Sic *Saxo* etiam *Grammaticus Hist. Daniae Lib. 7.* illos Urorum bibisse cornibus testis est. De corneis autem Veterum, Regumque poculis legatur *Athenaeus Lib. 21. Dipnosoph.*

Observandum quoque puto in ealidissimis orbis terrarum partibus pessima etiam, ac maxime noxia gigni toxica, ideoque Providentissimum Mundi Arbitrum illis etiam locis praestantissima suppeditasse antidota, quibus ista suffocentur, obtundanturque, crediderim.

Propriae dictae equidem Monoceroti admirandas esse dotes, viresque quibus letalia, ac minus cognitis necantia modis venena supprimat, ac vincat, nullâ ratione negare quempiam posse statuit *Brownius Pseudodoxiae Epidemicae Cap. 23.* Quando enim Alcis ungulae, cornuaque comitali laborantibus morbo prodesse dicuntur, quando etiam non tantum os cordis cervini, sed & ejusdem cornu est corroborans, Hyacinthorumque confectioem, &c. ingreditur, quid causae est, quod illam Monocerotio cornu inesse negemus potestatem? Minime vero se credere idem *Brownius* ait, hujus tantam esse antidoti efficaciam, ut, quod tamen haud pauci volunt, sublimare, aliisque, quae secundâ (ita ait) qua-

litate, sive partium rosione necant, resistat venenis.

Memorat *Ulysses Aldrovandus* Judaeum quendam Venetiis Unicornu vendere voluisse, ac, ut verum esse probaret, cornu parte circulum in mensa duxisse, immisosque primo Scorpionem, mox & Aranaeum, illius terminos superare minime potuisse, sed huc illuc repentes intra horae quadrantem nec ante antidoti vi interiisse. Simile quid *Stephanus Rodericus Castrensis Lib. 4. de Meteor. Microcosm. Cap. 4.* magno quopiam cornu factum se vidisse tradit, quod Nobilis quidam Lusitanus ipsi monstrârit, Regisque, cognati sui, esse dixerit. Hic autem cornu, ut minimè fictum esse ostenderet, araneam imposuit, quae, cum quam citissime aufugere niteretur, vi retenta brevi solâ antidoti vicinitate extincta est. Testatur hic insuper vidisse se in Lusitania Monocerotis ossa quamplurima superâsse venena, asseritque paucos admodum absque hoc insigni remedio Magnates ex India in Lusitaniam reduces esse.

Narrat etiam *Monardus Tract. de Lapide Bezoard.* similem se *Hispani* ab hujusmodi cornu frusto proveniente vidisse effectum. Quapropter hoc omnia omnino praestanti virtute antecellere antidota statuit. Nec dissentit Vir Eruditissimus *Ficinus de vita Coelitus comparanda*, qui cornu isti coelestes propemodum dotes attribuit. Idem censent *Brassavolus, Dioscorides,*

des, Matthiolus, Baccius, atque omnes fere, qui de pestilentibus, malignisque febribus plura scriptis consignarunt, uno tamen omnes fatentur ore rarius illud reperiri, atque inter Regum, potentiorumque thesauros numerari pretiosiores.

Amatus Comment. in Dioscorid. Lib. 1. Enarrat. 52. omnes, qui in India fuerint, asseverare ait monocerotis cornu apud Reges, Principesque maximo esse in pretio, imo & Lusitanos, qui diutius Medicinam in India laborantibus fecissent, dixisse Medicos nullum excellentius Indis veneno, contagiosive infectis febribus propinari remedium posse. Atque ideo quondam Indi Proceres Monocerotio cornu auro praemunito bibere soliti fuere, ne qua forte tradente *Aeliano*, toxica nocerent. In Aethiopia quoque Regiis illud imponitur mensis, quo explorent aulici, num quid veneni epulis inditum sit. Memorat etiam *Paulus Jovius Lib. 31. Clementem VII. Pontificem Romanum Francisco I. Galliarum Regi* hujusmodi cornu bicubitale, coelatoque innixum auro dono dedisse, quo cujusvis cibis admixti veneni vim eluderet. Hanc quoque ob causam magnae in India auctoritatis Viri ex ejusmodi cornu confectis ornantur armillis: uti supra è *Blanquio* annotatum.

Laudat quam maxime *Aloysius Mundella* hoc cornu tanquam à cane rabido, aliisve insectorum toxicis certissimum remedium. Ne cui itaque mirum sit, & illud cum propter raritatem, tum

Li s pro-

propter eximias dotes tanto pretio olim fuerit divenditum, ut etiam memoret *Baccius pag. mibi 105*. Germanos quosdam Mercatores Romanam venisse, ut cornu Monocerotis quibusdam Principibus offerrent, quod 90000. coronatis aestimarent. *Julius I. I. I. P. M.* scribente eodem, officinam aromatariam, pretiosisque refertam pharmacis, quam vaticano in Palatio extrui curaverat, donavit inter alia Monocerotii cornu fragmento à Ragusinis mercatoribus 12000. coronatis empto. Quo *Baccius Augustinum Riccium* Medicum Pontificium usum fuisse se scire ait, qui illud interdum pondere scrupuli unius, quandoque 10. granorum ad minimum, vel cum aqua aliqua cordi appropriata, requirente necessitate, cum felici multis successu, qui hujus ope magna evitârunt pericula, propinaverit.

Quamquam autem dens ille piscis *Nerbual*. non cornu sit, iis tamen insignis est dotibus, quas bene multi quondam ei, tanquam Monocerotio cornu, attribuerunt. Non animadvertuntur, scribente *Brouwnio d. Libro fol. 301*. in plurimis, quamvis non in omnibus, quae apud nos reperiuntur, plurimique fiunt, cornibus istae qualitates, quae aliis inesse solent: neque enim igne, coquendove, aut liquoribus mollescunt, nec multum gelatinae iis decedit, nec facile calcinatione philosophicâ dissolvuntur, sed rimis fatiscunt, vel in laminas solvuntur, contra, quam aliis accidit cornibus. Adi-

Addi etiam id ipsum confirmantem *Bartholinum Epist. Med. Cent. 1. fol. 100.* Testatur hic quoque *Epist. Med. Cent. 2. fol. 579.* nec non *Hist. Anatom. Rarior. Cent. 2. Hist. 56. ac Cent. 4. Hist. 4. & Cent. 5. Hist. 46.* se non sine prospero successu febricitantibus, praemissis ex methodo praemittendis, hujus dentis pulveris dragmam dimidiam praeuisse, qui veluti maxima quadam vi sudores expulerit, febremque minuerit. Quod ipsum se & in malignis grassantibus febribus, tertianisque expertum ait. In aliis etiam morbis, quos ejectione sudorum tollere quis gestit, non minus felici eventu hujusmodi rasi, posteaque contusi dentis pulvis intus sumitur.

Memorat idem *Cent. 2. fol. 662. Kyperum Professore* quondam Lugdunensem in Batavis hujus dentis pulverem peste laborantibus prospere exhibuisse. Quin & *N. Tulpius Obs. Med. Cent. 4. Obs. 58.* conducere Unicornu marinum expellendis variolis & morbillis, domandisque febribus malignis, se non semel expertum esse scribit.

Martinus Forbifferus navigatione in regiones Occidentis, & Septentrionis piscem mortuum in Septentrionis maris se invenisse narrat, qui undis agitabatur, & in rostro unicum cornu rectum gerebat longitudine unius ulnae cum semisse. Hoc autem intus cavum fuisse, ac quasdam in id araneas injecisse, quae è vestigio fuerint mortuae, scribit.

Sta-

Statuunt tamen nonnulli qualitates quas S. Pagina animali *Rem* attribuit, omnium optime *Orygi* convenire.

Est tamen *Oryx* aequae, imo magis ignotus, quam proprie dicta *Monoceros*, ac de utroque pari varietate loquuntur Scriptores.

Primo namque *Caprea* generaliter Latinis *Capra*, ac praecipue fera est, cujus tamen plures species, *Rupicapra*, *Dama*, *Ibex*, *Bubalis*, *Pygargus*, *Capra Strepsiceros*, *Dama vulgaris*, *Capra Moschi*, *Bezoardica*, *Oryx* &c.

Oryges autem *Columalla Lib. 9. Cap. 1. Cervis*, at *Plinius Lib. 8. Cap. 53. Bochartusque de Animalibus S. Scripturae Cap. 28. partis prima pag. mibi 974. ac Franzius Hist. Animal. Sacr. Part. 1. Cap. 23. Capreis* annumerant. Ita ut hujusmodi *Caprea* nonnullis *Oryx*, quibusdam *Dorcas*, vel *Bubalis* aut *Dama*, *Gazellave*, aliisque *Ibex* sit, nec cui potissimum adhaereas dicere promptum sit.

De *Orygum* origine, locisve in quibus degant, non una etiam est opinio, *Herodotus Lib. 4. animalibus* accenset, quae prope *Tritonis Africae fluvii* fontes proveniunt.

Orygem quoque in illa Orbis parte nasci tradit *Plinius Lib. 10. Cap. 73. vocatque Gentulum Orygem Juvenalis Satyra. 9.*

In *Aethiopiâ* produci *Agatarchides, Strabo Diodorusque*, ac *Heliodorus* contendunt. In *Aegypto* etiam reperiri *Plinius Lib. 2. Cap. 40. Aelia-*

Aelianusque Hist. Animal. Lib. 7. Cap. 8. nec non Lib. 10. Cap. 29. scribunt. Idem etiam Lib. 14. rupicapras summis montium Lybiae cacuminibus degere tradit.

Formam insuper Orygum alii, atque alii diversam faciunt, dum modo unicum, modo duo illis concedunt cornua. Qui capreis annumerant, bina tribuunt, quos inter *B. Bochartus*, quamquam pag. 939. ita dicat: *Reperitur in Sestanae, & Bulgariae syvis, inquit, Damir, Charis fera, quae in medio capitis cornu habet unicum.* Quod etiam pag. 967. repetit.

Plinius etiam Lib. 11. Cap. 46. unum Orygi tantum esse cornu asserit: ita quoque Aristoteles Lib. 2. Histor. Animal. Cap. 1. ac Lib. de Part. Animal. Cap. 2. ut & Oppianus de venatione Lib. 2. versu 445.

Aelianus Hist. Animal. Lib. 14. Cap. 15. quatuor cornua Orygibus esse scribit non directa, sed recurva, ac prope humeros contingentia, unde de Damis, Orygibusque Platycerotibus locutus videtur.

Binas exhibet Orygis figuras *Jonstomius*, verum utrum magis illum, an *Asinum* referant *Indicum*, sive *Onagrum*, ne *Aldrovandum* quidem dicere ausum ait p. 86. fateturque nihil omnino certo sibi de ejus formâ liquere. *Bochartus enim Cap. 27. Part. 1. de Animal. S. Script. fol. 966. non plane Reem naturam (quo Orygem significari contendit) sibi perspectam scribit, ac pas-*

passim *Orygi*, licet obscurius, duo adscribi non diffitetur cornua, cum etiam *quandoque Unicornem* esse ex *Aristotele*, ac *Plinio* constare pag. 970. dicat.

Sed nec de substantiâ cornu inter scriptores convenit. *Nierenbergius* Cap. 3. *Hist. Naturalis* fol. 111. longa, firmaque huic ferae cornua. *Bartholinus* autem de Unicornu, pag. 70. ac 71. cava esse variaque, ut arcus, chitarasque, ac fistulas ex iis conficiant.

Oryges meticulosos alii, timidosque, ut *Athenaeus* Lib. 5. *Virgilius Aeneid.* Lib. 10. *Ovidius Fastorum* Lib. 5. nec non *Bartholinus* de Unicornu, crudeles vero alii ajunt.

Hoc autem inde natum crediderim diffidium, quod bicornes Caprae (quibus illos nonnulli annumerant) timidiores sint proprie dicto, ac Unicornu *Oryge*, quem saevum *Oppianus* Lib. 2. de venatione v. 446. *Martialisque* Lib. 13. *Epigram.* 95. nec non *Plinius* Lib. 2. Cap. 40. scribunt.

Columella Lib. 9. Cap. 1. cum caeteris animalibus ad usus humanos mactari *Oryges* scribit his verbis: „Ferae pecudes, ut Capreoli, Damac-
„ que nec minus *Orygum*, cervorumque ge-
„ nera, & Aprorum, modo lautitiis, & vo-
„ luptatibus Dominorum serviunt, modo quae-
„ stui, ac redditibus:

Bartholinus etiam de Unicornu pag. mibi 72. *Orygis* corpus sanum admodum, hominesque nutrire aptum, ideoque illum inter pura quoque ani-

animalia populo Israëlitico commendatum scribit, ut *Deuteron. 14. v. 5.* constat.

Gratissimi saporis hasce carnes fuisse, lautissimasque conjicias, quod Romanorum dapes constituisse scribat *Juvenalis Satyr. 11.*

Dissentiunt denique de Orygis longitudine, ac magnitudine, quotquot fere eum descripsêre. *Herodotus* enim *Aelianusque Lib. 4. Hist. Animal. Cap. 15.* bovi magnitudine parem dicunt; *Oppianus Lib. 2. versu 55.* illum Rhinocerote non multo esse majorem scribit. Verum *Aristoteles Hist. Animal. Lib. 3. Cap. 2.* Capream inter minima cornuta, quadrupediaque animalia ponit, dicitque se non nosse parvum animal cornutum, capream autem, quae noscat, omnium esse minimam.

Hirco parem, barbatumque sub mento Orygem scribit *Albertus Magnus*, barbam etiam attribuit *Aelianus Lib. 14. Cap. 15.*

Aque haec quidem de Oryge. Caeterum, quisquis illa recte perpenderit, fatebitur utique omnia, quae de *Rem*, sive *Reem* sacra profert pagina, de Oryge, Capreave bicorni, non posse dici. Constat quippe ex *Numeror. 23. v. 22.* Tò *Rem* maxime altum esse animal, contra quam *Aristoteles*, ac *Albertus Magnus* de Oryge testantur.

Animali *Rem* excelsum etiam cornu esse à *Psalmo 92. v. 11.* liquet; *Extolles meum cornu sicut Rem*; verum cervorum etiam alteriora esse

esse cornua, quam caprearum, quis ignorat?

Nec tamen inscius sum capream saltare, ac lascivire, nec non cornibus petere solere, atque hac consideratione illud *Deuteron. 33. v. 17.* „*Sunt ejus cornua tanquam Rem, quibus populos arietabit*, capreae tribui posse. Verum & insolitae feritatis *Rem* est, quare ab hujusmodi ferarum cornibus defendi cupit Regius *Psalm. 22. v. 22.* Cum tamen viri docti, atque ipso rerum usu facta fides capreas timidiores esse demonstrant.

Illud etiam quod *Jobus Cap. 39. v. 14.* de *Rem* scribit, capreis attribui nequit, quae propter virium defectum ab arandi necessitate eximuntur.

At dicet forte quispiam *Orygem*, qui ex caprearum genere sit, fortem esse saevumque. Verum equidem est eum capreis esse saevior, sed tamen illi passim duo tribuuntur cornua. Omnes insuper unamini consensu proprie dictum Unicornem nec capi, nec sub iuga mitti posse perhibent. Cum tamen & S. Scriptura, aliique (quos inter *Martialis* annotato Epigrammate 95. *Lib. 13.*

Saevus Oryx constat quot mihi morte canum?)

Cervos damalque, ac Capraeas, ideoque & *Oryges* retibus, canibusque vinci doceant. Facile laqueo capi posse *Orygem* tradit *Albertus Ma-*

Magnus, teste *Ionstano*. Memorat etiam *Athenaeus Lib. 5.* in superba *Ptolomaei* pompa Orygum bigas septem fuisse; *Horus* etiam *Apollo Lib. 1. Cap. 46.* Aegyptios Reges huic infedisse animali auctor est.

Nec quicquam effecerit, quisquis è S. Scripturae locis superius adductis duo *Reem* tribui cornua, ac proinde, non esse unicornu dixerit. *Kimchius* enim, *Aquinasque*, ac *Pomarius*, aliique Hebraei, atque Arabes *Rem*, animal unico frontem spectabile cornu scripsere. Animadvertendum insuper est S. Scripturam per numeri *enallagen* plura *Reem* tribuere cornua. Quando autem legimus *Deuteron. 33. v. 17. Cornua ejus sunt, tanquam rā Reem*, non necessario habemus vertere *Monocerotis*, sed dici utique potest *Monocerotia*, ut plurimi vertunt. Ita ut non videam, quid impulerit *Hieronymum*, ut *Psalmi 22. versum 22. Rhinoceroti* attribuerit: Neque enim posteriori illo modo confusio, quam vitare voluisse S. Pater videtur, quae piam oriri potuisset. Sed hic loquendi usus apud Hebraeos, aliosque notior est, quam ut multis exponatur.

Urum etiam nonnulli loco *Monocerotis* obtrudere voluere. Sed quam invita id fiat ratione, vel ipsum nomen clamat, quod recentius longe, minusque notum, quam Unicornis. Hujus enim quadringentis ante Christum annis *Ctesias* aevo *Artaxerxis Mnemonis* meminit; Is enim in excerptis apud *Photium*, *Sunt*, inquit, *Asini syl-*
Tom. I. *Kk* *ve-*

vestres in India equis pares, aut etiam minores. Urum autem quis ante Caesarem novit? Certe post hunc pauci admodum illius fecere mentionem, tacente etiam omni Graecorum turba. Atque ideo *Plinius Lib. 28. Cap. 10.* hos nec uros novisse, nec *bisontes* tradit; quamvis bubus feris quam maxime abundant Indiae saltus: Nec constare ait *Bochartus pag. 962.* uros alibi fuisse: quam in Hercynia sylva, aut locis parum remotis: unde *Mosis* aeo Judaeis innotuisse nemo sibi persuaferit. Nec est, qui, ut scribit idem, Syriam, Palaestinamque uros producere asserat. *Mose* migitur, *Jebum*, & *Balaamum* voce *Reem* necesse est aliud significasse.

Tandem etiam *Onagrum* nonnulli proprie dictam Monocerotam statuere; Scimus equidem hujus ferae cornu à Monocerotio forma differre, sed & non minus praesens adversus venena esse remedium. Quamquam & hoc animal unicornu magnitudine par sit, variis tamen distinguitur modis; pilis videlicet, longitudine, aequalitate, ac colore cornu, nec non pedibus, &c. Quae omnia etiam pro regionis, in qua nascitur, diversitate differunt. Cornuti namque in India asini agrestes sunt, ut & in Scythia, Africaque, tradente *Herodoto Lib. 4.* nec non *Aeliano Hist. Animal. Lib. 10. Cap. 40.*

Quin & ipsa sacra pagina *Iobi Cap. 39. v. 8. ac 12.* unicornem, *Onagrum*que distinguit, ac diversa utrique tribuit nomina. Quamquam *Onager* etiam

iam solitarius sit, ut *Hoseae Cap. 8 v. 9. Iobi Cap. 24. v. 5. Esaiæ Cap. 23. v. 14. nec non Daniel Cap. 5. v. 21.* liquet.

Adde vivos capi, domarique Onagros, testibus *Varrone de re rustica Lib. 2. Cap. 6., Plinio Lib. 8. Cap. 43., ac Anatolio Hippiatric. Cap. 14. Martiale*, aliisque: quod de monocerote vera utique asseri non potest. Ait enim hic *epigram. Lib. 13. Epigr. 101.*

Pulcer adest Onager: mitti venatio debet
Dentis Frythraei: jam removete finus.

Scribit etiam *Ionstonus de quadrupedibus Cap. 3.* quosdam ad generandos mulos Onagros jam domitos eligere, quod haec quam facillime sub jugum veniat fera, subactaque rarius sola repetat loca. Onagros ab Arabibus in desertis laqueis, aliisque capi instrumentis testatur *Leo Africanus pag. 215.*

Nec dissentit *Jobus Cap. 39.* docet enim liberum vinculis incedere onagrum; qualis quamdiu manet, in desertis degit, Civitatumque frequentiam temnit, &c.

Atque ita quidem Lectori constare censuerim, nec dentem piscis *Narhual* cornu, multo minus monocerotium, nec etiam *Orygem Rem* esse, cum quod bina plerumque feratur gerere cornua, tum quod timidior sit, dometurque, nec non lautas luxuriosis praestet epulas. Quamquam enim animi intrepidi, saevusque sit *Oryx* quandoque, capitur tamen, ut saepius

dictum. Verum enim vero si Doctiss. *Sam. Bochartus de Animalib. S. S. pag. 961. & 962.* Veterum testimoniis abunde se probare dicat *Rem* non in boum, sed caprearum esse numero, ac *p. 970. Jobum* ita exponat, ut scilicet dometur quidem *Rem*, attamen ab arandi eximatur necessitate; ne videlicet negetur posse intelligi *Oryx*, qui domatur, ac propter roboris defectum aratri immunis est. Si idem *Bochartus* etiam *pag. 968.* feritatem *Orygis*, ac robur, quale *Jobus*, alique *quod Rem* tribuunt, docte, atque eleganter ex prophanis demonstrat, anne igitur, ut eruditissimo viro assentiamur, necesse est, dicamusque *Rem* non unicornu excellentius, sed *Orygem* esse? Minime vero. Ille enim isthaec omnia, quo pollebat, ingenio conquistavit unâ, eaque maxima, ut putabat, ratione, quam apertissime *pag. 954.* indicat, ductus, quod nempe de eo nusquam legisset, inaudivissetve ab iis, qui peregrinis etiam indagatores accuratiores in terris vixerint; quam etiam ob rationem viri magni *Mercurialis, Paraeus, Deodatus*, alique existere verum negant unicornu.

Ipse itaque unicornu vere sic vocatum ab omnibus hisce quam maxime distare animalibus, atque illud ipsum non modo propter similitudines à *Spiritu Sancto* ab eo sumptas, sed & propter expressas quam apertissime proprietates, ferocitatem videlicet, robur, animositatem, feramque indolem, ac denique propter Veterum, recentiorumque monumeta, atque ocularium testium fidem, non tantum ante *Orygium* extitisse cataclysmum, sed & hodieque, ac praecipue quidem in Africa, existere, atque reperiri existimo.

F I N I S.

INDEX